

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Homiliarium Pauli Diaconi - Cod. Aug. perg. 19

Paulus <Diaconus>

[S.l.], [9. Jh.]

In vigilia unius apostoli: Lesung aus dem Evangelium nach Iohannes

[urn:nbn:de:bsz:31-6704](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-6704)

Sed nos in praesenti quia sermo claudendus est. Unum iohannis testimonium commemorare sufficiat.

Et cum darent inquit quattuor animalia gloriam & honorem & benedictionem sedenti super thronum. uiuenti in saecula saeculorum. procidebant uiginti quattuor seniores ante sedentem in throno. & adorabant uiuentem in saecula saeculorum. & mittebant coronas suas ante thronum. Oportet namque ut quotiens aeterni regis magnificentiam in sanctis euangeliorum libris praedicare cognouerimus. procidamus humiles ante illum. illius misericordiam deuotis precibus imploremus. & quicquid boni operis habere possumus. non nostris hoc meritis. sed eius semper gratiae tribuamus. Qui sedens in throno patris. una cum spiritu sancto. uiuit & regnat deus in omnia saecula saeculorum. Amen.

**INVIGILIA
NICUS APOSTOLI
LIC SANCTI IOHANNIS SIC IOHANNIS**

In illo tempore. Dixit ihesus discipulis suis. Ego sum uitis uera. & pater meus agricola. & reliqua.

**OMNIA BEATI
AUGUSTINI EPISCOPI DE IERUSALEM
LECTIONE**

Iste locus euangelicus fratres. ubi se dicit dominus uitam. & discipulos suos palmites. secundum hoc dicit. quod est caput ecclesiae. nosque membra eius. mediator dei & hominum homo christus ihesus. Unius quippe naturae sunt. uitis & palmites. Propter quod cum esset deus. cuius naturae non sumus. factus est homo. ut in illo esset. uitis humana natura. cuius & nos homines palmites esse possimus.

Quid ergo est. ego sum uitis uera. Ab illa utique discernitur cui dicitur.

Quomodo conuersa es in amaritudine. uitis alienae. Nam quo pacto est uitis uera. quae expectata est ut faceret uuam. fecit autem spinas.

Ego sum inquit uitis uera. & pater meus agricola est. Omnem palmitem in me non ferentem fructum. tollet eum. Et omnem qui fert fructum purgabit eum. ut fructum plus adferat. Numquid unum sunt agricola & uitis. Secundum hoc ergo uitis christus. secundum quod ait. pater maior me est. Secundum id autem quod ait. ego & pater unum sumus. & ipse agricola est. Ne talis quales sunt qui extrinsecus operando exhibent ministerium. sed talis ut det etiam intrinsecus incrementum. Nam neque qui plantat est aliquid neque qui rigat. sed